



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titvlvs XVI. De Deposito.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

modans ad plus non tenetur; quam se  
voluit obligare: non autem censetur ad  
talem eventum se obligandi habuisse vo-  
luntatem; cum in dubio, quisque sibi  
magis, quam alteri, consulere velle, pra-  
sumatur. Quare tali casu aequè, imò  
magis rem commodatam revocare com-  
modanti permittitur, quam locatori  
ex casu ante non praevisto alias, quas in-  
colat, non habenti, ex aedibus locatis con-  
ductorem ante tempus expellere, *l. E-  
dem 3. ff. Locati*, cum à locatore aedes  
pretio conductae: non, ut res commo-  
data, gratis sint concessae.

Neque obstat *Regula cit.* quia in  
figore consilium commodans non mutat;  
cum rem commodandò non habuerit ani-  
mum, eam nullò casu: sed solummodo

non revocandi extra improvisum casum,  
quò re ipse aequè vel magis quam commo-  
datarius indigeret; quia commodatò res  
alteri applicata non est omnino absolutè,  
sed sub tacita conditione, *Nisquam autè  
revocare aequalis aut major necessitas co-  
gat.* Unde hujus casu urgente repeti-  
tiam ante tempus & usum expletum po-  
test, sicut ex locatis aedibus expelli con-  
ductor. Aliter res se habet in donatio-  
ne: quam, quò rei donatae ac traditae  
non usum duntaxat, sicut commodatum  
& locatio, sed ipsum ejus dominium  
transferat, firmam esse oportet, & ex-  
tra casus Jure expressos non revocari ex-  
pedit bono communi, *Molina n. 12.  
cit. Azor cit. Lib. 7. cap. 8, q. 2. & Pe-  
rez l. cit. n. 16.*

20.



## TITVLVS XVI.

## De Deposito.

## SUMMARIUM.

1. Depositi etymon & natura.
2. Eò res ad solam custodiam,
3. Et ad deponentis arbitrium revocanda, datur.
4. Res deposita in specie restituenda est.
5. Deponuntur res mobiles, & aliquando immobiles,
6. Propria & aliene.
7. Haec tamen domino potius, quam deponenti furi,
8. Integra & sine compensatione restituenda sunt.
9. Depositarius dolum duntaxat & culpam latam praestat:
10. Nisi pro custodia mercedem receperit,
11. Sive ad illam obtulerit.
12. Caupones, nauta &c. ferè culpam levissimam praestant.
13. Depositarius non praestat casum, nisi hunc praecesserit culpa lata.
14. Vel de eo praestando convenerit.
15. Conventione dolus expressè remitti Jure nequit.
16. Interitu rebus suis & depositis imminente depositarius pretiosiores:
17. Cum ea sunt aequales, quae vult servare potest.

L I

18. 5x

18. Ex clerici & Religiosi culpa non tenetur Ecclesia vel monasterium:  
 19. Nisi depositum receptum sit, Pralatò & capitulò consentiente.  
 20. Clericus non gaudet privilegiò eximente à tortura,  
 21. Licet huic non ita facild, ut laicus, subjiciatur.

1. **D**epositum, sic dictum, quasi in alterius manu positum sit, in Jure aliquando pro ipsa re deposita, *l. 1. pr. l. fin. ff. hùc Rubr.* aliquando pro Contractu, sumitur, *l. Juris gentiù 7. §. 1. ff. de Pactis.* Priori modò sumptum est, quod custodiendum alicui datur, *pr. cit.* Posteriori verò Contractus, quò res gratis custodienda alicui traditur eà lege; ut eadem in specie ad deponentis libitum restituatur, ut colligitur ex *l. 1. cit.* junctà Glòsà *V. Datum, §. Præerea 3. Instit. Quibus modis re contrab.*

2. Dicitur autem imprimis, *Custodienda*: non, ut Precariò & Commodatò, utenda, *l. 1. pr. ff. de Precar. & l. 1. §. 1. ff. Commodati*, sive ad accipientis usum; cum depositarius re deposità utens furtum committat, *l. Si depositi 3. C. hic* Multò minùs, ut Mutuò data, ad abusum; quia eò rei depositæ dominium non transfertur, ut instat mutuò data valeat absumi. Neque etiam ad crediti securitatem, ut Pignus creditor, *l. Plus 25. ff. de R. I. Additur Gratis*; quia, si merces interveniret, non Depositum, sed potius Locatio foret, *l. 1. cit. §. 8. & 9.*

3. Deinde dicitur, *Ad libitum restituenda*; cum enim solius deponentis gratiam & utilitatem hic contractus spectet, rei depositæ revocatio ab istius arbitrio pendet, *cit. l. 1. §. 22.* adeò; ut rem depositam reposcenti statim non resti-

tuens dolò faciat. Nisi quis rem, vgladium aut scloppum penes alterum depositum reposcens vitæ inimici infunderet; hoc enim casu illi restituendæ obligatio per accidens cessaret, ut rectè advertit Haunold. *Tom. 4. de I. & L. tit. 10. n. 775. in fine.*

Demum, *Eadem in specie*; quia non alia similis, sed eadem numerò est restituenda, *cit. l. 1. §. 16.* Cui non adversatur; quòd etiam quantitas vgl pecunia deponi possit: & cum deponitur eadem in genere tantum veniat restituenda; quia, hoc non ita generaliter verum esse, patet ex *l. Lucius cit.* cujus textu prodita est distinctio inter casum, quò quantitas, vgl. centum aurum, alicui tradita est, ut in genere restituatur: & eum, quò eadem traditur ob signata, vel etiam non ob signata ad numerum data, & conventum est; ut in specie reddatur; priori enim casu & ite quoties depositæ rei fungibilis vglus conceditur, quantitas in genere tantum sive alia similis est restituenda; quòd, cum ita traditam ex circumstantiis apparet, contractus Depositum terminos egrediatur, & transeat in Mutuum. Posteriori verò casu deponenti, cum volente, repetenti eadem in specie reddenda est, *Perez in C. hic à n. 5. & Bruneman in l. cit. à n. 1.*

Deponi possunt res omnes, quæ sub custodiam cadunt, saltem mobiles: ut vestimenta, ornamenta, instrumenta: sèque ipsas moventes, ut boves, equi. Immobiles, etsi locò moveri & in manum dari non possint; ac proinde si depositi natura hoc exigeret, ejus materia non essent: nihilominus, quia depositi natura potius in rei ad custodiam commendatione, *l. Lucius 24. ff. hic*, quàm in ejusmodi vera in manum datione consistit, res etiam immobiles, hic

ipso, quod custodienda alteri valeant commendari, imò in sensu Jure approbato etiam tradi, *l. Stipulationes 72. pr. ibi, Fundum tradi, ff. de Verb. Oblig. etiam poterunt deponi: quod cum Perez l. cit. n. 3. tradit cit. Haunold. n. 815. & receptum est Jure Bavarico Landrecht Tit. 18. art. 1. clarè exprimente, alterius custodia commendari posse sicut vnd Fahrent Gut: quorum vocabulorum priori immobilia denotari, extra dubium est.*

Neque obstat; quod rei depositio fiat causà custodiae, *l. 1. cit. pr. quae in re immobili inutilis est; cum furto nequeat auferri; quia, licet propter hanc rationem custodia rei immobili eò fine, ne auferatur, apposita inutilis sit &, ut l. Si ea 31. pr. ff. de Abition. empti, dicitur, adversus vim parùm proficiat, utilis tamen est, plurimumque proficit adversus incendia, devastationem, deteriorationem & similia detrimenta, quae à vicinia possunt inferri, ut rectè advertit Haunold. l. cit.*

Neque solum res propriae, sed alienae quoque deponi possunt, *l. 1. cit. §. 39. & l. Bona 31. §. 1. ff. hic.* Haec tamen apud dominum frustra deponuntur; cum iste depositi nomine traditam rem suam alteri tradere non teneatur, *l. Bona cit. §. 1. & l. Qui rem 15. ff. ibid.* Et eò ipso; quod rem, quam suam esse scit, à deponente traditam accipiat, recuperet ejus possessionem, *cit. Haunold. n. 819.*

Sicut apud ipsum dominum deposita res non restituitur deponenti, sic etiam, si cum isto, rem furto aut vi ablatam & depositam reposcente, concurrat dominus, eam non furi aut praedoni, sed domino, qui eam suam esse in continenti probare paratus est, restituendam, *ex l. Bona 31. §. 1. desumunt Petr. Barbosa in l. Si alienam 11. ff. So-*

*luto matr. n. 20. & Molina Trañ. 2. de l. & l. disp. 526. n. 2.* Quantumvis eam aliàs furi ac praedoni, quod eorum interfit, restituendam, *§. cit. V. Quod si ego, & cit. l. 1. §. 39. clarè habeatur.*

Restituenda autem reposcenti res est non solum eadem; sed etiam integra, hoc est, non deteriorata, *cit. l. 1. §. 16. ut locus non sit compensationi vel deductioni pro alio, quantumcunque liquido debito, c. fin. V. Sanè, junctà Glossà V. Intra quod, & l. Si quis 15. C. hic; ne, ut l. cit. Imp. ait, Contractus, quò ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur, sive; ne ad hanc occasio fiat, quod alicujus fidei specialiter est commendatum. Quod, licet ad casum, quò uterque vicissim ab altero depositum habet, extendatur; ac proinde penes se depositum uterque alteri reposcenti sine compensatione vel alia simili exceptione restituere teneatur, l. Si quis cit. V. Sed est, & Glossa in c. cit. V. Contra quod; excipienda tamen est causa debiti liquidi, propter factas in rem depositam impensas necessarias, hoc est, tales, quae si factae non essent, res interitura vel multum deterioranda fuisset; hujusmodi enim impenlarum solutionem faciendam; &, donec ea fiat, rei depositae retentionem licitam, naturalis Aequitatis ratio persuadet, Sichardus ad l. Si quis cit. n. 5. Harprecht in §. Praeterea 3. Institut. Quib. mod. re contrah. n. 54. cit. Molina disp. 526. n. 5. & Gonzalez in c. fin. cit. n. 13.*

Re apud se pereunte vel deteriorata depositarius regulariter non tenetur, nisi id acciderit ejus dolo, *l. 1. cit. §. 4. vel culpa lata, quae in Contractibus dolo equiparatur, l. Quod Nerva 32. ff. hic, imò dolus (Præsumptus) vocatur, l. Magna 226. ff. de V. S. Ratio est; quia depositum regulariter fit gratià solius deponentis, l. 1. §. 5. ff. de O. & A. & nullum*

Ll 2

nullum

- nullum emolumentum affert ei, cuius fidei res commendatur; ut proinde iste meritò ad tam arctam custodiam non teneatur, Panormit. *in c. fin. cit. n. 3.*
- 10.** *Regulariter*, inquam; quia aliquando ex culpa minori: & ex levi quidem tenetur, si mercedem pro rei custodia receperit, *l. 1. §. 8. & 9. Sc. fin. cit.* quia sic depositum gratià utriusque celebratum: & saltem, si merces non nimis modica constituta sit, assumpta videtur natura Locati conducti, in quo culpa levis præstatur, Panormit. *cit. n. 3.*
- 11.** Ex eadem culpa tenetur, qui ad depositum recipiendum se ipsum obtulit, *c. fin. cit.* quã, ad depositum se offerens & pro ejus custodia mercedem recipiens, æquiparantur. Imò non desunt DD. qui seipsum offerentem ex levissima etiam culpa teneri, desumant ex *cit. l. 1. §. 35.* ubi Julianus ICT.<sup>9</sup> ab eo *Non solum dolum, sed etiam culpam & custodiam: non tamen casum fortuitum præstari scribit*; quò textu verbo *Custodia* diligentiam exactissimam Den Auffersten Steiß / ut loquitur Jus Bavaricum Landrecht Tir. 18. art. 1. cuius omisso levissima culpa est, denotari, & ad eam depositarium obligari, volunt saltem, si singularem diligentiam promisit, aut se obtulit ei, qui non communis, sed singularis diligentia hominem, cuius custodia rem commendaret, desideravit aut quæsit, Sylvester *V. Depositum q. 2.* & Haunold, *Traht. cit. n. 828.*
- 12.** Ad hanc, sive diligentiam exactissimam obligantur; ac proinde suã custodiã commendatis rebus, levissimã suã culpã pereuntibus, tenentur Nautæ, caupones, stabularii & similes, quorum officium annexam custodiam habet, *l. 1. Sc. ff. Nautæ, caup. stabul.* Quod salubriter constitutum est; ut istorum hominum occurreretur fraudibus, & via-

torum securitati consuleretur. Nontamen etiam isti tenentur ex casu fortuito imò ex levissima & levi etiam culpa, si quos hospitio receperunt, assignatò cubiculò cum clavibus, ut rerum suarum custodiam ipsi haberent, præmonerent, & istorum consensus accessit, *cit. Haunold. n. 825.*

Ad casum etiam fortuitum præstatur, re apud se pereunte vel deterioratã, depositarius tenetur imprimis, quando casum illum dolus verus, aut ex culpa lata præsumptus, vel culpabilis mora restituendi præcessit, *cit. c. fin. l. 1. §. 25. & l. St. in Asia 12. §. fin. hie*; cum, qui causam damni dedit, minimum dedisse videatur, *c. fin. cit. & mora sua cuilibet sit nociva, Reg. 27. in 6.* Deinde, quando, ut is etiam præstetur, inter deponentem & depositarium expressè convenit, *cit. c. fin. & l. 1. §. 35.* pactis enim & conventionibus contrahentes, sicut ad maiorem vel minorem culpam, quàm alias contractus natura exigit, sic etiam ad casum fortuitum se obligare valent, *Reg. Nic. et Prætorio 27. ff. & Reg. Contractus 87. in 6.* Et si, qui ejus præstationem in se recepit, ad casum omnino insolitum se obligasse, non præsumatur, *arg. l. ff. Stulas 78. §. fin. ff. de Contrab. empt. Gaill. Prætic. 21. Lib. 2. observat. 27. n. 19.*

Neque in contrarium facit; quòd expressã conventionem remitti nequeat præstatio doli, quò res deposita interiret, partim; quia hoc verum non est de dolo jam commissio; cum ejus remissio non adverteatur Juri & rationi naturali, neque Legalibus aut Canonicis sanctionibus reprobetur: partim verò; quia præmum committendi doli expressam remissionem irritandi specialis ratio fuit; quòd bonis moribus, honestati atque utilitati publicæ

ti publicæ adverteretur; cum, dolum impunem faciendò, ad delinquendum invitet, *l. 1. cit. §. 7. & l. Si unus 27. §. 3. ff. de Paliis*, Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 14. n. 3.* Gutierrez *p. 1. de Jurament. cap. 10. n. 5.* & Bruneman *in l. Si unus cit. n. 7. Expressè*, inquam; quia, hoc ipsò, quòd remitti queat Actio Depositi, *cit. §. 3. & l. Jurisgentium 7. §. 15. ff. de Paliis*, tacitè & in consequentiam remissa censetur Actio Doli, *§. 3. cit.* quia non rarò, quæ expressè nocent, non nocent, si tacitè includantur, *l. Expressè 195. ff. de R. 7. &* quæ principaliter non admittuntur, si in consequentiam veniant, sustinentur, Cravetta *Consil. 6. n. 112.* & Bruneman *in l. Si unus cit. n. 11.*

16. Dubium hoc loco est primò, an depositarius in periculo incendii, naufragii, hostilis incurisionis res depositas servare teneatur præ suis, si servare utrasque simul non possit. Ratio dubitandi est; quia ex una, depositò salvis rebus propriis pereunte, præsumitur dolum, *c. fm. cit. pr.* ex altera verò parte, Regula Charitatis est, dilectionem incipere à seipso, *can. Si non licet, 23. q. 5.* Sed, ut cum Panorm. *in c. fm. cit. n. 2.* rectè advertunt *cit. Molina disp. 296. n. 2.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 27. n. 23. & 27.* tali casu servandæ sunt res pretiosiores, sive propriæ sive alienæ. Ratio est; quia depositarius tenetur ad eam diligentiam, quam quisque prudens rebus propriis solet adhibere; ac proinde pretiosiores, sive suas sive alienas, præferre debet minus pretiosis.

17. Si verò sint pretii æqualis, servari præ depositis propriæ possunt; cum non teneatur depositis majorem diligentiam adhibere, quam prudentes propriis solent: eamque ob causam, sicut casu, quò res æquales propriæ simul servari omnes nequeunt, sic etiam, quò ejusmodi res propriæ & depositæ servari simul non pos-

sunt, quas vult, proprias vel alienas, servare potest: idque faciendò non censetur agere dolosè. Aliud esset, si res alienas in suam tantum utilitatem accepisset, sicut fit in Commodato; tali enim casu propriis præferendæ essent res alienæ; cum ad earum custodiam exactissimam teneatur, *l. In rebus 18. ff. Commodari, cit. Molina n. 7.*


Dubium secundò est, an ex re apud 18. clericum vel religiosum deposita, & dolò vel latà ejus culpà pereunte, Ecclesia vel Monasterium obligetur. Non obligari, communis DD. Resolutio, istiusque ratio & Regula est; quòd *Delictum persone in damnum Ecclesie vel monasterii non debeat redundare*, quæ est *76. in 6.*

A communi tamen illorum sensu & 19. ratione aliena non est distinctio inter casum, quò clericus v.g. Ecclesie canonicus aut Religiosus depositum cum consensu Prælati & capituli: & cum, quò id hujusmodi consensu non requisitò aut obtentò recepti; cum enim Prælati & Capitulum simul representent Ecclesiam vel monasterium, *can. Scire, 7. q. 1. & c. Requisivisti 15. de Testament. æquum est; ut, sicut ex aliis contractibus, exigente aut suadente justà causà, ita celebratis, sic etiam priori modò factà depositi receptione Ecclesia vel monasterium obligetur; ne id non bonà fide receptum, & deponens ab Ecclesia deceptus videatur, contra *c. Per tuas 5. de Donat. Glossa in c. 1. V. Persona*, ubi Innocent. *n. 1. Imola n. 5. & Sanchez Lib. 6. Moral. cap. 14. n. 35.* Posteriori verò modò recepti depositi interitu vel deterioratione factà, licet clericus, cujus dolò vel culpà latà res perempta vel deteriorata est, conveniri possit, Ecclesia non tenetur: nisi quatenus ad eam aliquid pervenit, aut in rem sive utilitatem ipsius aut monasterii est versum, *c. 1. cit.*, ne cum alterius damno & inju-*

ria locupletetur, contra *Reg. Jure natura* 206. ff. & *Reg. Locupletari* 48. in 6.

20. Dubium tertio moveri solet, an clerici valeant torqueri. Cui aniam præbuere *c. 1. cit.* Verba, *Illum iniquum, clericum depositum denegantem, sub questionibus ponant, etiam (si oportuerit) vinculis alligatum*: ex quibus clericum esse tortum, & torqueri jure posse, cum Panormit. *inc. cit. n. 6.* & aliis desumit Clarus §. *fin. q. 64. n. 24.* At non ita certò; quia *c. cit.* non agi de tortura: & Verba *Sub questionibus* idem, quod sub interrogationibus, denotare: verbis autem *Vinculis alligatum*, eum carceris & vinculorum coercitione ad depositæ pecuniæ redditionem compellendum, significari, in *c. cit.* notant Barbosa *n. 7.* & Gonzalez *n. 3.* At, licet textus ille intellectus foret, clericos tamen etiam in Sa-

cris constitutos & Sacerdotes quæque tortura, saltem in læsæ Majestatis & aliis exceptis aut valde enormibus criminibus aliquò Juris privilegio non omnino exemptos, praxi potissimum spectatâ, agnoscunt Farinac. *Prax. Criminal. q. 41. n. 2. & 8.* & Guazzinus *Reor. defens. 30. cap. 10. n. 3.* licet cum Menochio *Lib. 1. de Presumpt. q. 31. à n. 8.* Mascardo *de Prob. Proem q. 10. n. 38.* & aliis, propter præsumptionem delicti exclusivam, ex ipso Clericali statu & Sacerdotalis Ordinis dignitate ortam, præviam publicam diffamationem aut huic succedentia criminis indicia multò graviora & urgentiora contra ipsos, quam contra laicos, quæstionibus subjiciendos sive torquendos, meritò requirant. Quales autem ministri in clericorum tortura adhiberi sint *Lib. 5. Tit. 25.* statuetur.



## TITULUS XVII.

### De Emptione & Venditione.

**E**mpionis, Commodati, Depositi fere ob unius gratiam iniri solitos Contractus excipiunt, qui cedunt in gratiam & utilitatem contrahentium utriusque: & imprimis quidem Emptio & Venditio, sicut frequentia usus & utilitate, sic etiam celebritate cæteris multum præstans.

#### ARTICULUS I.

#### De Emptionis Venditionis natura & varietate.

#### SUMMARIUM.

1. Res primò pro rebus aliis:
2. Postea pro pretio data,
3. Et ab aliis Contractibus distincta: Emptio Venditio:
4. Qua de merce pro pretio pecuniario danda convenitur;
5. Ut ejus substantiam mutuo contrahentium Consensus,
6. Certum Pretium pecuniarium,
7. Et certa Merx constituant.
8. Non etiam, Translatio Translatio domini,

g. Neque